Quaestio Medica Quodlibetariis Disputationibus agitanda In Schol. Medic. die Jovis 8a Febru. D. Guillelmo De La Barre D. M. Mod. prudentiss.

Suntne Anni tempora hominis aetatibus analoga?

Corpus humanum cum sit ex contrariis elementis conflatum, ideoque patibile, et affectioni subditum ab internis, et externis causis multa solet perpeti, atque sustinere. Hinc perpetua illa mortis necessitas, quam ars nulla potest prohibere: illud enim continenter plurimas subit mutationes eius temperamenti, quod ab initio ingenitum est, ab his fiunt variae aetatis diversae, quae certis annorum spatiis contingere, neque idem propter variam hominum constitutionem, et vitae conditionem.

Prima enim est adolescentia infantiam, puerorum, et puberum aetatem complexa, quae tanto calidior et humidior est, quanto ortui recentior. Cui succedit juventus calida sicca cunctis muniorum generibus obeundis aptissima. proximo hanc sequitur consistens aetas, quae ut a calore a juventute vincitur ita ad siccitatem magis inclinat. Calore sopito senectus obrepit, quae coctionis minimo pondere superfluos humores colligit, et omnibus functionibus adulescatur.

Caeterum externarum sanitatem et vitam conservantium nulli tanta necessitas inest, vimque tam varia et efficax ad corpus immutandum quam aeris. Et eius magnis mutationibus quatuor anni tempora ver, aestas, autumnus, et hyems sunt definienda. Eorum tamen omnium Sol author est praecipuus sicuti et morborum chronicorum [illegible]. Cuius accessione et recessu sic aer immutatur, ut ver sit calidum et humidum, aestas calida sicca, autumnus frigidus siccus, hyems frigida humida si causae inferiores eandem tempestatum temperiem servari permittunt.

Constat et vicissitudo temporum non tantum sanitatis, sed et vitae diuturnioris causa esse solet. Nam calor veris humores profusos et [illegible] rerum foecunditatem, et jucunditatem non parvam conducit. Calor aestatis acrior meatus recludit, superflua quaeque discutit, crassa et obesa corpora extenuat, frigida frigidaque naturae [illegible]. Autumni siccitas firmat corpora, et naturae humidis nedum mulieribus parat commoditatem. Frigus hyemis calorem instaurat, et auget, calidos humores temperat, graciles incrassat, et meliorem efficit concoctionem.

Temporum singula, ut qualitatum excessu aliquo inter se distinguuntur, ita quatuor temperamentorum differentiis, aetatibus et humoribus proportione respondent. Sic ver omnibus quidem, sed magis pueris, et adolescentibus salubre est et familiare, eoque sanguis augescit, et profunditur. Aestas ut juventus bilem auget et exacuit, morbisque acutis materiam suggerit. Autumno vero atra bilis ut in aetate consistente, unde melancholici morbi nascuntur. Hyeme non secus quam in senibus multa ob temperamenti affinitatem colligitur pituita, quae morbis frigidis, ac longis praebet materiam et occasionem.

Ergo anni tempora sunt aetatibus hominis analoga.

Proponebat Joannes Marquisius Viennensis Diocesis. 1582.

Dni Doctores disputaturi.

M. Thomas Lecourion. M. Julianus Beré. M. Nicolaus Le Grand Med. reg.
M. Ludovicus Dreux. M. Nicolaus Marchant. M. Petrus Collier.
M. Dominicus Bourgoing. M. Hermanus Courtin. M. Hieronymus De Varades Med. reg. et Antiq. Dec.